

se sollicitos. Exemplis rem claram faciam. Definit Augustinus in can. 81. de pœn. dist. 1. pœnitentiam bonorum, & humilium fidelium pœnam quotidianam &c. Si pœnam vocat, improprie vocat, propterea quod ait, à bonis & humilibus fidelibus excipi; qui proprius pœnitentiæ character est. Idipsum ex Augustino liquet in can. 4. & 7. de pœn. dist. 3. ubi pœnitentiæ pœna dicitur, cum tamen ita pœna appelletur, ut reus in se puniat, quod dolet commississe, item ut detineatur vel ad demonstrationem debite miseriæ, vel ad emendationem labili vite, vel ad exercitiationem necessariam patientiæ, liquet pœnæ nomen non nisi latissime usurpari. Toleranti Antistites: censuræ nomine utuntur in can. 13. dist. 12., sed præterquam quod non absolute censuram dicunt, sed pœnitentiæ censuram, subjiciunt talem esse censuram, qua lacrymis præterita transgressionis culpa diluatur, & necessaria officiorum doctrina studiose addiscatur, eamque ob rem indicium est, censuræ nomine non proprie censuram, sed pœnitentiam intelligi. In canone 11. & 12. dist. 28. fit mentio excommunicationis, diversa tamen est utrobique significatio; nam in can. 11. excommunicatio verè significat censuram, quia fertur in contumaces, uti indicant verba illa, si in criminis intentione persistierint, qua pœnitentibus minime congruunt; at in can. 12. verè significat pœnitentiam, aut pœnam, quia fertur in perpetuum, aut usque ad mortem, uti indicant verba illa nunquam communicet, moriens tamen ei Sacramenta subveniunt, quæ verba proprie censuræ convenire non possunt. In canone 10. dist. 50. quæ excommunicatio dicitur, appellatur etiam pœnitentia, & quidem improprie excommunicatio, proprie pœnitentia, quia perpetuo ibidem interdi-

citur reo communione, quod pœnitentiæ congruere potest, nullo modo excommunicationis censura. In canone 2. dist. 34. suspenduntur Clerici, & Diaconi venatores; at suspensionis nomen aliter in Episcopo, aliter in Diacono intelligitur. In Diacono vera censura est, quia absolute is dicitur ab omni officio, & communione suspendi; in Episcopo pœnitentia, vel pœna est, quia trium mensium spatium definitur, intra quod ille à communione suspendi juretur; propterea nimirum quod indefinita suspensio verè censura est, pœnitentia autem, vel pœna, quæ certo tempore circumscribitur. Quis excommunicationem triginta dierum spatium circumscriptam simili ratione non censuram, sed pœnitentiam non nominaret, de qua mentio fit in can. 9. dist. 35., fortè etiam pœnam, quando ibidem subjicitur, Clericum ebriosum aut esse communione privandum, aut corporali subdendum supplicio? Quis excommunicationem, de qua agitur in can. 101. caus. 1. quest. 1., non intelligat, non esse censuram, sed potius pœnam, quia & certo tempore concluditur, & fertur etiam in invitum? Similia observari possunt in conspectu canonis 24. dist. 86., in can. 6. dist. 89., & in can. 7. vers. si verò caus. 2. quest. 1. Multa alia non persequor, ex quibus adhuc clarius liqueret; quam utile sit, laudatas regulas præstitisse ad interpretationem veterum canonum, in quibus pœnitentiæ, censura, & pœnæ nomina promiscuè identidem usurpantur, quamquam plurimum inter se distent; si quidem in subsequentibus dissertationibus erunt adhuc plura recensenda, quæ hanc ipsam rem in luce apertissima collocabunt.

## DISSERTATIO SECUNDA DE REIS PER PŒNITENTIAS EXPIANDIS.

Huc referendus est titulus 38. lib. 5.

### CAPUT I.

#### De Pœnitentiæ disciplina, ejusque natura.

Pœnitentia definitur ab Augustino in can. 4. de pœnit. dist. 3. quædam dolentis vindicta, puniens in se, quod dolet commississe, cujus natura non eo tantum respicit, ut Deo satisfiat, sed etiam ut peccatorum causa radicitus evellantur, ut tradit idem Sanctus Antistes in can. 3. ead. dist. Peccati quidem macula Sacerdotali absolute deletur, qua homo in divinam gratiam restituitur, sed manet inde obligatio satisfaciendi, nisi satisfactio absolute præcesserit, quemadmodum & definiaverunt, & elegantissime explicaverunt Tridentini Antistites in sess. 14. cap. 8., quod adeo verum est, ut in quocumque admissio peccatorum, ut levissimorum, genere obtineat. Ad instituendos Sacerdotes modum peragenda pœnitentiæ reis criminum designatos, editi olim fuerunt libri, quos pœnitentiales vocabant, eosque addicere Sacerdotes jubebantur, quibus pro opportunitate uterentur, can. 5. dist. 38. Sanè præcis Ecclesiæ sæculis, cum Ecclesiæ diris vexationibus quærebatur, pœnitentium rationibus dirigendis satis & undique consulti non potuit. Hinc ubi delinquentes essent reconciliandi Deo, & Ecclesiæ, ex uniuscujusque Sacerdotis vel Episcopi reconciliantis arbitrio pen-

debat ita singula moderari, ut quod quisque prudenter judicavisset, id pro lege à pœnitentibus haberetur. Pacatis Ecclesiæ rebus, cum quorundam Sacerdotum aut nimia austeritas pœnitentes ferè in desperationem adduceret, aut nimia indulgentia illorum utilitati parum consuleret, operæ pretium duxerunt prudentissimi quidam Antistites, generales quasdam regulas ad disciplinam pœnitentium stabilendam elucubrare, easdemque palam proponere, à quibus Sacerdotes non deflecterent. Primum apud Græcos proderunt, auctoribus Basilio in epistolis canonicis ad Amphilochem, Athanasio in epistola ad Rufinianum, Gregorio Thaumaturgo in epistola de pœnitentia, Gregorio Nissano in epistola ad Lætojum, Cyrillo Alexandrino in epistolis canonicis, Joanne Constantinopolitano in libello pœnitentiali, aliisque numero plurimis. Apud Occidentales memoria superest, Cyprianum librum pœnitentialem condidisse, quem in epistolis suis ipse commemorat, hunc tamen neque inter opera Cypriani reperiri, neque in aliqua Ecclesiæ librum receptum fuisse scimus. Primum pœnitentiales libros à Grecis derivatos vulgavit in Occidentali Ecclesiæ Theodoros Cantuariensis in disciplina Græcorum olim instructus, quos in Dicecesi sua tan-



tanquam regulam à Sacerdotibus suis servandam proposuit. Non placere Latinis non potuit ea ratio, quorum alii penitentiali Theodori in suas Dioceses traducere, alii nova penitentialia ad illius exemplum condere studuerunt. Hinc plures ejus nominis libri evulgati, quorum celebratissimi fuerunt, præter penitentialia Theodori, penitentialia Bedæ, penitentialia Rhabani, penitentialia Romanum, sive ad illud respicias, quod edidit Halitgarius, sive ad illud, quod edidit Antonius Augustinus; ut omittam penitentialia, quod in sua collectione inseruit Burchardus Wormaciensis Episcopus, & illud, quod ad calcem Gratiani codicis, recentioris sanè & obscuri auctoris opus, adjectum est. Jam Regionis Prumiensis ætate singulis Sacerdotibus præstitutum erat, ut unum ex illis penitentialibus haberent, quo tanquam regula uterentur, quemadmodum adnotavit idem Regino in lib. 1. de ecclesiasticis disciplinis interrogatio- ne 95. Utinam verò viri tantum doctrina, prudentiaque spectabiles edendis penitentialibus libris manum admovissent! At incredibile propemodum dictu est, quot emerissent numero hujusmodi codices, quorum aliqui non solum nullam utilitatem in Ecclesiis ad duxerit, sed potius plurimum adtulerunt detrimenti. Vetus in hanc rem fuit quærela proposita in Concilio Cabilonensi H. anni 813, in quo visum fuit optimis Antistitibus, penitentialium librorum auctoritatem elevare, statutibus idcirco in can. 38, ut penitus abolerentur his verbis: *Modus autem penitentia peccata sua confitentibus aut per antiquorum canonum institutionem, aut per sanctorum scripturarum auctoritatem, aut per ecclesiasticam consuetudinem, sicut superius dictum est, imponi debet, repudiatis, ac penitus eliminatis libellis quas penitenciales vocant, quorum sunt certi errores, incerti auctores, de quibus rectè dici potest: mortificabant animas, quæ non moriantur, & vivificabant animas, quæ non videbant. Qui dum pro peccatis gravibus leviter*

*quosdam & inusitatos imponunt penitentia modos, censunt pulvillos secundum propheticum sermonem sub omni cubito manas, & faciunt cervicalia sub capite universa ætatis ac capiendas animas. Post Cabilonensem hunc canonem duo statim derivaverunt. Primum est, exinde non tanti fieri cepisse, quanti olim fibant, penitentialium libros, & paulatim eò devenisse rem, ut penitentialium memoria penè tota iaceret; quamobrem hodie vix aliqui supersunt celebriores, qualis est Theodori, Bedæ, Romanus, aut aliqui alii pauci, quos ego verius appellarem penitentialium cætones, & fragmenta; neque enim quotquot editi circumspiciuntur, integri omnino videntur, & quales à suis olim auctoribus editi prodierunt. Alterum est, post parvifectos penitentialium libros, pristinam restitutam fuisse disciplinam, juxta quam à vetustis sæculis obtinebat, & nunc iterum usu receptum est, satisfactionis opera penitentibus injungenda ex prudentis Sacerdotis arbitrio pendat, quemadmodum explicaverunt Patres Tridentini in sess. 14. cap. 8. Ceterùm observandum est, distingui maximè oportere inter abolitam penitentialium librorum disciplinam, & inter constantem perennemque disciplinam Ecclesiæ optantis æquè ac præcipientis, ut etiam hodie Sacerdotes in imponenda salutarì penitentia eum modum servent, qui & delictorum qualitati, & affectioni penitentis respondeat. Equidem imprudens esset illius Sacerdotis consilium, qui vellet adamussim disciplinam penitentialium veterum privato judicio renovare; plurimum tamen prodesset ad illa, saltem celebriora, & antiquiora respicere; ut ex collatione singulorum deprehendatur, quanam esse consueverit mens Ecclesiæ in expiationibus criminum præstituendis, & ne in his, quæ hodie ex Sacerdotum arbitrio pendunt, à generalibus saltem principiis recedat; debent enim Sacerdotes Domini (sequor Tridentinos Patres in cap. 8. sess. 14.)*

quam

quantum spiritus & prudentia suggererit, pro qualitate criminum, & penitentium facultate salutaris, & convenientes satisfactiones injungere, ne si forte peccata conviveant, & indulgentius cum penitentibus agant, levissima quedam opera pro gravissimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur. Opportunum fuit libros penitenciales avocare, propterea quod incompti essent, inordinati, depravati, corrupti, & quod magis erat, ita digesti, ut obscuri eorum auctores nimium indulserint arbitrio suo, & leviora gravibus, graviora crimina levibus identidem penitentibus insecuti fuerint. Hanc ipsam ob rationem diligentissimi esse Sacerdotes debent in imponendis hodie penitentibus ut plurimum arbitrio suo relicti, ne censura illata in penitentialium auctores simili jure in illos detorqueatur. Reverà penitentia, quæ dicitur ab ecclesiasticis patribus secunda post naufragium tabula, dicitur quoque laboriosus quidam baptismus; eademque non regenerat, sed reparat, ac veluti in vulnus

ficatrices obducit. Quicumque considerat, quanta sint peccati præsertim lethalis à personis singularibus, admitti colluvies, qua personæ ipse miserè infirmantur, faciè percipit, ita per istud personam quamque labefactari, si eum per peccatum originis, quod naturam hominum universam infecit, depravata fuit universa natura; si insuper considerat, augeri in dies eam infirmitatem personalem ex peccatis, ut vocant, actualibus, pro majore istorum numero, & consuetudine delinquendi, hinc penitè deducet, quantum debeat esse in penitentiali labori, ad reparandam infirmitatem etiam post Sacramentalem absolutionem, & receptam divinam gratiam, si magnus esse debet etiam post baptismalem regenerationem, ne improba adfectione depravata naturæ iterum obruant animam, utur in baptisate signatam characterè Christi, in divinam amicitiam revocatam, & multiplici virtutum divinarum habitu confirmatam.

## CAPUT II.

### De variis penitentia partitionibus, ac gradibus.

TRIPLEX est penitentia ratio; alia enim spontè ab unoquoque suscipitur, alia est Sacramentalis à ministris Ecclesiæ in foro interno jurisdictionem nactis pendens, alia ad bonum publicum Ecclesiæ ordinata, & indicta ab iis, qui jurisdictione in Ecclesia fruuntur etiam in externo foro. Vix opus est aliqua attingere de prima penitentia specie; tantum dico, & delictorum reliquias expiet. Id fit sine ullo delictorum, personarumque discrimine, imò etiam si quis intergrum vitæ, purumque sceleris se esse sentiret, valeret sanè pius hæc peniten-

tium operibus cum fructu vadere, quo tutius pietatis, religioni adhereret, & perseverantia habitum à Deo impetraret. Nominè penitentia Sacramentalis venit aut Sacramentum ipsum penitentia à Sacerdotibus in Ecclesia administratum, aut pars illa ejusdem Sacramenti, quæ in satisfactione consistit. Dogma fidei est, in Ecclesia esse clavium potestatem à Christo Domino Apostolis concessam, & per Apostolos in successores Antistites derivatam, qua fit, ut peccatores in judicio Sacramentali constituti, aut ligentur, aut solvantur, quemadmodum aperte ex Evangelio liquet. Consistit hoc Sacramentum in actibus penitentis, scilicet in dolore antea improbe vitæ, illiusque innovandæ proposito, in confessione delictorum integra apud Sacri-

do-



dorem facta, & in proposito satisfaciendi per poenitentias salutare, delictorum qualitati, & numero accommodatas ex prudenti Sacerdotis arbitrio; item consistit in actibus absolventis Sacerdotis, ad quem spectat causa in secreto foro cognita absolvere, & satisfactionem indicare. Meum non est de hac re solemnem disputationem aggredi, cum hæc sit Theologorum provincia, in quam jam multi egregia studia contulerunt, ut solidis argumentis vindicarent definitionem Tridentini Concilii in tota ferè sessione 14., sive quòd attinet ad materiam & formam, sive quòd attinet ad ministerium, sive quòd attinet ad necessitatem hujus Sacramenti. Quædam tantum ego adiciam, quod à meo proposito minimè distat, ad interpretationem canonis 90. de poenit. dist. 1., & canonis 1. de poenit. dist. 6., qui sanè canones & canonum & Theologiæ studiosis nonnihil negotii facessere solent. In canone 90. sub nomine Theodori Cantuariensis exhibetur Græcæ Ecclesiæ disciplina, quasi à disciplina Latine Ecclesiæ aliena, quòd Græci dicantur soli Deo, Latini etiam Sacerdotibus peccata confiteri. Profectò apud Theodorum nihil tale reperio. Tantum invenio in capitulis Theodori Cantuariensis apud Dacherium cap. 51. & 133. hæc verba: *Confessio Deo soli, si necesse sit, agi licet.* Hoc fragmentum plurimum distat à monumento Gratiani, siquidem verba illa, *si necesse sit*, ita rem explicant, ut tum demum sufficiat ad reconciliationem & veniam obtinendam confessio facta soli Deo, quum Sacerdoti fieri nequeat propter contingentem aliquem casum, quod quidem definitionibus Ecclesiæ non repugnat. Verba Gratiani potius referenda sunt ad Capitulare Theodulphi Aurelianensis cap. 30., unde puto, mendum apud Gratianum irrepisse, qui pro nomine Theodulphi scripserit nomen Theodori. Theodulphus Aurelianensis Collectorem agens canonem exerpserit ex Capitularibus Franciæ; Capitularium au-

tem Francorum Collector deprompsit ex Concilio Cabilonensi II. anni 813. cap. 33., corrupta sanè monumenti editione, quemadmodum demonstravi in meis lucubrationibus in Gratianum; siquidem in canone Cabilonensi ea verba desiderantur *ut Græci . . . ut tota ferè sancta Ecclesia.* At ita restituito canone, quid aliud exinde colligitur, quam in sancta Ecclesia & Deo, & Sacerdotibus confessionem fieri peccatorum? Quod sanè verissimum est, cum Sacerdotes confessionem excipientes, Dei vice fungantur, cap. 2. de offic. judic. ordinar. Legimus quidem sub nomine Augustini in can. 1. de poenit. dist. 6., confessionem peccatorum fieri etiam apud laicos homines posse. Sed in primis quis hodie ex eruditis in mentem sibi facile inducat, sententiam illam, sive integram homiliam esse Augustini? Paucis jam ego attigi in meis lucubrationibus in Gratianum. Deinde quem late, viros gravissimos jamdiu interpretatos fuisse verba illa recta ratione de confessione non sacramentali, sed ex demissione animi facta ab eo, cui factò quodam defuerit officium Sacerdotis? Laudanda profectò religio, & pietas, qua quis non Sacramentum sibi conferri putat, sed qua quis testatur, inhiare se avidissimè ad Sacramentalem confessionem, cui & temporis, & causarum adjuncta impedimento fuerunt.

Pertinet hæc ad poenitentiam illam, quæ Sacramentum novæ legis est ex Christi beneficentissima institutione. Quòd si nomine poenitentia intelligimus eam Sacramenti partem, quæ in satisfactione consistit, inhærens Concilii Tridentini definitionibus, & perpetuè Patrum traditioni, ajo, pertinere ad Sacramenti substantiam satisfaciendi propositum, & satisfactione juxta sententiam Sacerdotis sine causa non impleta, Sacramenti non haberi integritatem, sive perfectionem, ac plenitudinem, Concilio Tridentino sess. 6. de justificatione can. 30., sess. 14. cap. 3. & 8. item

can.

can. 4. 12. 13. 14. & 15. dist. 3. juncto canone 63. 68. 69. & 76. dist. 1. de poenit., hoc enim est, quod aebant iidem Tridentini Patres in cap. 2. ejusdem sessionis 14., merito poenitentiam laboriosum quandam baptismum fuisse à Sanctis Patribus appellatam; atque in hoc explicatur illa ligandi atque solvendi potestas à Deo Sacerdotibus tradita, qua fit, ut poenitentes ex æquo satisfacere detrectantes, jure criminum absolutione frustrentur, quemadmodum superius observabam. Quid verò est, quod sub nomine Ambrosii legitur in can. 1. de poenit. dist. 1., ubi Sanctus Antistes notabat, *se invenisse, quod Petrus Apostolus flevit; non quòd dixerit, lacrymas ejus se legisse; non satisfactionem legisse?* Subjiciebat autem: *Sed quòd defendi non potest, ablati potest: lavent lacryma delictum, quod voce pudor est confiteri,* quæ postrema verba habentur in canone 2. ejusdem distinctionis. Liquet sanè, Ambrosium totum fuisse in eo loco, ut clamaret, potissimum in poenitentia sincera esse observandum, ut conscius criminis vehementer, atque etiam lacrymis doleat, quin eam satisfactionem edat, quæ in excusatione ac defensione consistat. De alio satisfactionis genere, quo dolor admitti pressus & efficacius explicatur, alium ibidem silentium est. Notatu quoque dignum videtur, commentaria Ambrosii in Lucam, ex quo depromptus est canon, sublimia, subtiliaque fuisse, de quibus jamdiu notavit Sixtus Senensis secutus Accam Episcopum Cantabrigiensem, nonnisi à doctoribus intelligi facile posse, eamque ob rem sobriè & accuratè & legenda esse, & explicanda.

Alia est poenitentia non secretò indicta, & occasione Sacramenti, sed ad bonum publicum Ecclesiæ ordinata, & indicta ab iis, qui jurisdictione in Ecclesia etiam in foro externo fruuntur. Ista autem est vel generalis, vel singularis, vel ordinaria, vel extra ordinem. Generalis est, quæ fit ab omnibus in communi, veluti cum jejunia generalia ce-

- Titm. 17.

lebrantur, generaliter in populo elemosynis vacatur, aliisque piis operibus. Singularis est, quæ singularibus personis indicitur, veluti cum quis inter poenitentium gradus judicio publico extra forum Sacramentale constituitur ob singularia quædam crimina, quorum causa sit Ecclesiæ, ac republicæ satisfaciendum. Ordinariam dico, quæ statis diebus in Ecclesia fieri solet, veluti cum tempora consueta jejuniarum, vigiliarum, certarumque feriarum id postulant; item cum quis certa admisit crimina, adversus quæ definita fuerit abs jure certa poenitentia. Extra ordinem dico poenitentiam illam, quæ occasione alicujus gravis incommodi indicitur, ut divinam elementiam populus poenitens sibi conciliet.

Emergit hinc vulgaris alia poenitentia partitio, juxta quam alia dicuntur poenitentia publicæ, alia privatæ: nimirum publicæ illæ sunt, quæ palam fiunt, & in publico diebus populi cœtu; privatæ illæ sunt, quæ clam, & secreto aut indicuntur, aut suscipiuntur. Erant olim in Ecclesia variae poenitentium stationes & gradus, ad quos peragendos ex sententia Prælatorum adstringebantur, qui crimina publica admisissent. Primus gradus dicebatur flentium sive lugentium, qui ad limina Ecclesiæ, & in atrio induti luctuosos vestibus, & variis poenitentia demonstranda congruis habitibus, rogabant quotquot Ecclesiam ingrederentur, ut Dei clementiam pro se implorarent; interea remoti à quocumque participatione rerum sacrarum. Secundus gradus dicebatur audientium, qui ultra Ecclesiæ atrium progressi admitterentur in eum locum, in quo Catechumeni consistebant; ideo audientes dicti, quia poterant audire prædicationem divinarum mysteriorum, qualis fiebat in conspectu Catechumenorum, interea tamen remoti à certis divinæ communionis juribus, nimirum à participatione sacrorum, quæ in Ecclesia fiebant. Tertius gradus erat subtractorum, qui

Ec

Ec



Ecclesiam quidem ingrediebantur, sed usque ad ambonem; in eo autem loco sternebantur demissis vultibus mœrentes, & certis Missarum temporibus in audientium locum remittebantur. Quartus gradus erat consistentium, quibus nimirum concedebatur inter cœteros fideles in Ecclesia consistere, denegabatur tamen Eucharistia Sacramentum; tantum imponebantur identidem manus ad argumentum reconciliationis. Quicumque in his gradibus versabantur, abstinentiæ vacabant, jejuniis, eleemosynis, aliisque piis operibus, arcebantur à conjugii celebrandis, & ab usu conjugiorum antea contractorum, cujus rei argumentum est, quod aliquando statutum legamus, conjugii nonnisi ex consensu alterius conjugis indictam fuisse publicam penitentiam, can. 13. caus. 33. quæst. 4. Qualis fuerit ratio harum stationum; in quibus per plures annos gradatim merebant penitentes, poterit facile unusquisque colligere, non solum ex libris vetustis penitentialibus, sed etiam ex epistola Canonica Gregorii Neocæsariensis can. 2. & ult., can. 63. & 64. dist. 50., & can. 5. dist. 82., can. 109. caus. 11. quæst. 3., can. 32. caus. 13. quæst. 2., can. 41. caus. 24. quæst. 1., can. 27. caus. 27. quæst. 1., can. 15. caus. 33. quæst. 2., & ex cap. 2. de maledicis. Atque inde fiebat, ut publici penitentes aliquando extra communionem positi, sive excommunicati appellarentur, nec integræ omnino famæ in Ecclesia haberentur, unde nec ad sacros ordines promoveri poterant, can. 5. dist. 82. Hodie istæ publicæ penitentia ferè exoleverunt; etenim vix aliquando intuemur, fideles ob occulta delicta publicam penitentiam spontè suscipere, quod olim frequens observabatur; non amplius supersunt variæ memoratæ

penitentium stationes certique gradus, per quos olim ad perfectam cum Ecclesia reconciliationem penitentes adducebantur, & quidem nonnisi per diuturna & determinata curricula temporum; quamobrem ego puto, in præsentia non amplius vigere antiquam regulam, quæ postulabat, ut nonnisi semel penitentia illa sollemnis indiceretur, can. 62. dist. 50., can. 2. de penit. dist. 3., proindeque toties indici penitentiam publicam posse, quoties quis publicè delinquit. Cœterum generalia publicè penitentia præcepta, quæ etiamnum obtinent, à vetustissimis non sunt regulis aliena. Siquidem in primis, sicut olim, ita & hodie observatur, ut nemo ob privata crimina ad publicam suscipiendam penitentiam obstringatur, & viceversa ut cogi ad penitentiam publicam possit, qui publica & graviora crimina admisit, can. 17. dist. 45., can. 19. caus. 2. quæst. 1., cap. 1. de penit. & remission., Concilio Tridentino sess. 24. de Ref. cap. 8. Deinde sicut olim, ita & hodie observatur, ut Clerici, etiam si gravissimè deliquerint, publicæ nunquam penitentiaë addicantur, can. 65. & 66. dist. 50., adversus quos visum fuit sufficere, si de gradu dejiciantur, can. 5. dist. 82., eadem ratione, qua etiamnum laici semel publica penitentia functi, nunquam ad dignitates, & officia ecclesiastica promoventur, nisi aliud Ecclesiarum necessitas, vel utilitas postulet, can. 25. 55. 56. 58. 59. & 60. dist. 50., cap. 1. de bigam. non ordin. Vix est, cur aliqua subjiciam de penitentia privata, ista vel spontè ab unoquoque suscipitur, vel in penitentiali foro mandat. Quoties ex Sacerdotis potestate pendet, illud obinet, quod superius tradebam, ut qualitati criminum, & penitentium appropinquè respondeat.

## CAPUT III.

## Quorum auctoritate penitentiaë indicantur.

NON agitur hoc in loco de penitentia spontè suscepta, utpotè quæ unusquisque arbitrio relicta est: tantum de penitentia ex mandato Ecclesiæ peragenda; qua in re distinguere oportet inter penitentiam privatam, sive in foro secreto & penitentiali indicendam, & inter penitentiam publicam sive publicè in cœtu fidelium exequendam. Auctoritas indicendæ penitentiaë privatae in foro sacramentali penès illos inest universos, quibus competit auctoritas absolventi à peccatis; quales sunt, Episcopi, Parochi, iique omnes Prælati Episcopis inferioris, qui abs jure in interno foro jurisdictionem nacti fuerunt, imò & Sacerdotes universi, quibus ab Episcopo, vel Prælato jurisdictionem habente quasi episcopalem, facta facultas fuerit; nisi extrema necessitas urgeat, qua in specie quicumque sunt in Sacerdotali ordine constituti, uti Sacramentalem absolutionem, ita congruam satisfactionem indicere poterunt, can. 51. de penit. dist. 1., Concilio Tridentino sess. 14. cap. 7. Regula est in hac parte, qua traditur duplicem potestatem requiri, ordinis nimirum, & jurisdictionis ordinis scilicet Sacerdotalis, & jurisdictionis à Prælato concessa; alterutram autem non sufficere. Neque obstat, quod legitur in cap. 2. de furtis, sive, quod idem est, in can. 31. caus. 13. quæst. 2., ubi mentio fit de confessione, quæ Presbytero, vel Diacono facta fuerit. Passim torquentur Interpretes in conspectu hujus canonis, cui ut commodam interpretationem affingant, dicere solent, ibidem agi de confessione publicè facta & in foro externo, causa obtinendæ reconciliationis apud Ecclesiam, non de confessione Sacramentali. Me non peccipet pridem editæ observationis in meis lucubrationibus in Gratianum, ubi ad hunc canonem ad-

notavi, in canone Triburiensi mentionem fieri de confessione, quæ fiat Presbytero, vel Deo, & contigisse ex oscitantia amanuensis, ut pro illis verbis *vel Deo, legeretur vel Diacono*. Observandum est in hac re, & Pontificem Maximum, & Episcopos jurisdictioni suæ reservare posse certorum graviorum criminum Sacerdotale iudicium, Concilio Tridentino dicto cap. 7. sess. 14., quod adeo verum est, ut etiam si Episcopus facultatem alicui fecerit generaliter, sibi eligendi confessorium, tacite non censetur electo delegata facultas in reservatis, cap. 2. de penitent. in 6. A Prælati, eorumque delegatis, seu à Parochis, in quorum Parochia quisque invenitur, est petenda absolutio, & satisfactionis modus, nisi aliàs; qui præest diœcesi, fecerit facultatem; ita ut qui eam potestatem in una diœcesi obtinuit, eandem inconsulto Ordinario in alterius Episcopi diœcesi explicare non possit. Rigidior erat in hac parte veterum disciplina, juxta quam unusquisque ita suberat Parochis & Episcopis diœcesanis, ut extra Parochiam alteri Parocho, vel Sacerdoti, vel extra diœcesim alteri Episcopo nemo subjicere se valeret sine probabilis causa, can. 2. caus. 9. quæst. 2., can. ult. de penit. dist. 6. Paulatim factum est, ut dummodò semel in anno quis proprio Sacerdoti confiteretur, suo muneri satisfacisse crederetur, cap. 12. de penit. & remiss., quod ita interpretabantur, ut nomine proprii Sacerdotis aut Parochus aut Episcopus intelligeretur. Denique ex generali Ecclesiarum consuetudine factum est, ut valeat peccatorum confessio cuicumque Sacerdoti facta, dummodò talis Sacerdos sit, qui aut ex jure communi, aut ex singulari Episcopi delegatione jurisdictionem in foro interno obtinuerit. Quando verò mentio habita est



laudati capituli 12., non debet prætere, integram adhuc hodie manere constitutionem istam Lateranensis Concilii in cæteris partibus, nimirum in primis singulos fideles teneri semel saltem in anno ad Sacramentum penitentia accedere, cum ad annos discretionis pervenerint, aliis viventibus ab Ecclesia ingressu arceri, & morientes Christiana care sepultura; cui decreto in hærentes Tridentini Patres usum salutarem fidelium probaverunt, quo sacro, & maxime acceptabili Quadragessimæ tempore ad Sacramentum accedatur, dicta sess. 14. c. 7. in fine; secundò Sacerdotem confessionem excipientem nulla ratione peccatorem proderet posse, indicta adversus proidentem depositionis, & perpetuæ in arcem monasterium detractionis poena, can. 2. de penit. dist. 6. Gravissimæ quoque poenæ adversus Sacerdotes constitutæ sunt in famigeratis constitutionibus tum Gregorii XV. tum Benedicti XIV., quinefaris artibus abusi sint Sacramentali confessione, & penitentes, sive ad tribunal penitentia accedentes, ad turpia sollicitaverint. Perspicuæ sunt constitutiones eadem, quæ sanè nulli omnino controversiæ locum relinquere videntur. Vetus fuit quæstio de Episcopis, aliisve Prælati Episcopo superioribus, item de Prælati Episcopo inferioribus, sed ab Episcopi jurisdictione exemptis, à quoniam & Sacramentali absolutionem, & exigenda penitentia modos impetrare deberent? ipsi sanè in se nullam jurisdictionem exercere possunt; sese subicere subditis suis, eorumque potestati, qua potiuntur in foro interno, non videbatur satis tutum; hæc in disputationem veniebant sub finem sæculi duodecimi, & sub initium decimertii, qua ætate ut plurimum tradebatur, servandas esse generales iudiciorum regulas, nimi-

tum ut Episcopus ab Archiepiscopo, Archiepiscopus à Primatè vel Patriarcha, Primas vel Patriarcha à Pontifice Maximo in foro penitentiali penderet. Videatur in hanc rem opusculum quoddam de penitentia, Joannis de Deo Doctoris Decretalium, quod editum est à Petito ad calcem penitentialis Theodori Cantuariensis tomo 2., ubi multa hujus generis inquiruntur, ac disputantur. Nemo non videt, disciplinam ita traditam parum opportunam Episcopis, cæterisque prælati extitisse, qui ut plurimum non nisi cum gravi & personarum, & officiorum suorum incommodo ad superiorem penitentia causa accedere poterant. Quamobrem saluberrima fuit Gregorii IX. Constitutio in cap. ult. de penit. ita concepta: *Ne pro dilatione penitentia periculum imminet animarum, permittimus Episcopis, & aliis superioribus, necnon minoribus Prælati exemptis, ut etiam præter sui superioris licentiam providum & discretum sibi possint eligere confessorem.*

Quod ad penitentiam publicam spectat, certum est, nemini præter Episcopos, aut Prælatos, quasi Episcopalem jurisdictionem exercentes, aut eos, quibus singulari titulo hæc facultas Prælatorum auctoritate specialiter concessa fuerit, vel licuisse aliquando, vel licere, publicam penitentiam indicare; neque enim publicæ satisfactionis rigor Sacramentali forum tantummodo respicit, sed etiam externam quandam Ecclesiæ politiam, in qua moderanda ejus officium est, qui in externo foro jurisdictione potitur: hinc regula est, Prælati etiam Sacerdotio non insignitos posse hanc penitentiam indicare, eodem modo, quo possunt censuras inferre, propterea quod tota ista facultas abs jurisdictione in foro externo pendeat. Quamobrem Patres Concilii Tridentini in cap. 8. sess. 24. de Ref. sicuti definitiverunt, ab Episcopis iudici penitentiam publicam posse, ita staverunt, ab eorundem arbitrio pendere, ut pro causarum adjunctis certum penitentia publicæ genus valeant in aliud

ge-

genus privata penitentia commutaretur; quod ita intellige, ut casus excipiat, quo à Dataria, in causis putà matrimonialibus, publica quædam ante dispensationem implenda penitentia injungatur;

hæc enim satisfactio, uti Pragmatici loquuntur; potius cujusdam compositionis, quam veræ, propriamque penitentia locum tenet.

## CAPUT IV.

## De indulgentiis, quæ penitentibus conceduntur.

**H**abet penitentia, sive privata sit, sive publica triplicem finem; primum himirum, ut satisfiat Deo, qui remittendo crimen, non semper omnem admissi criminis poenam abolet; secundum, ut satisfiat Ecclesiæ, quæ pravis delinquentium exemplis dolet alios facilius in malum induci; tertium, ut reus ipse piis exercitationibus imas, quoad fieri possit, peccati radices, si non evellat, saltem contundat. Hinc proficiscitur, homines utut divina gratia justificatos pro peccatis antea admissis satisfacere oportere, imò & mortuos penitentes ante absolutam satisfactionem poenis adhuc teneri, quas purgatorias Ecclesia appellat, quibus scilicet pia justificatorum animæ detinentur, ne patriam attingant, quousque sint poenitus expiati. Cæterum inest Ecclesiæ ex Christi elementa divina quædam facultas, qua ante satisfactionem etiam apud Deum valeat illa poenas aut in parte, aut omnino remittere, quod nostri vocant indulgentiarum concessionem, quæ & viventibus fidelibus, & mortuorum animabus per modum, ut ajunt, suffragii prosunt. Propria est ista poenæ abolitio; quamquam enim qui indulgentia utitur, personalem non exhibeat satisfactionem, alienis tamen meritis, ut verè satisfiat, auctoritate Ecclesiæ adjuvatur. Revera cum Ecclesiæ juxta phrasim Apostoli Pauli corpori admiscetur, cujus caput est Christus, & membra fideles; alia aliis nobiliora ac præstantiora, fit ex conjunctione vel membrorum inter se, vel membrorum cum Christo capite, ut unius merita ad alterum potestate præsi-

dum adfuerint; & quod redundat in uno, defectum suppleat aliorum; quæ est illa Sanctorum communio, quam Apostoli in suo Symbolo prædicaverunt. Super cætera eminenti Christi merita infinita accesserunt illis; semper tamen ex Christi ejusdem virtute, ac gratia, merita insignia Beate Mariæ, atque Sanctorum; ex omnibus autem coalescit, ita dixerim, nunquam exhauriendus thesaurus, cujus dispensationem sibi commissam esse ad fidelium utilitatem Ecclesia jure optimo gloriatur, & quem dum Ecclesiastici Antistes pro modo potestatis pandunt, unusquisque sibi proprium facit pro modo charitatis, quo cum Christo, conjungitur, ut Deo celerius satisfiat, extravag. 2. de penit. & remiss. int. com., Concilio Tridentino in decreto de Indulgentiis sub finem sessionis 25.

Porrò Indulgentiarum alias plenarias, alias temporales dicimus; plenarias, quibus omnis satisfactionis gratia fit; temporales, quibus tantum pars satisfactionis remittitur, atque hæc modo ampliores sunt, modo contrafactiores, uti vulgari Ecclesiæ disciplina demonstrat, juxta quam scimus, modò annorum, modò dierum gratiam fieri, ut intelligamus ex gr. septem annorum, vel quadraginta dierum indulgentiam obtineri, quum penitentis ea ratio habetur, ac si per septem annos, aut per quadraginta dies intra penitentium gradus juxta veterum ordinem constitisset, ac piis exercitationibus satisfecisset. Non tamen putandum est, gratiarum hujusmodi dispensationem adeo liberam Prælati inesse, ut etiam sine causa exerceatur; quando Christus

Do-



Domini; à quo omnis potestas derivatur, dispensandorum quidem, non dispensandorum thesaurorum auctoritatem concessit. Hinc vel ipsi Pontifices Maximi non nisi raro ea potestate uti solent, & servata ratione, modò censurarum, quæ publicæ, & graves emergant, modò temporum, uti contingit in anno Jubilæico, justus exemplum. Deus idem in veteri testamento exhibuit, dicta extravag. 2. de pœnit. & remiss. int. com., modò locorum, ut insignium Sanctuariorum cultus augeatur, modò celebriorum quarundam, solemnitatum, quibus, populi frequentia, & ardentior in Deum Charitas divinam clementiam singulari devotione sibi conciliare videtur. Hinc præterea profecta sunt, quæ jamdiu invaluerunt, Indulgentiarum aut concedendarum rationes, aut promulgandarum modi, quibus dispensatio non nisi cautissimè fiat, atque executioni mandetur. Quamobrem quamquam antiquis Ecclesiæ sæculis Ordinarij quicumque in suis diocesisibus plenariam etiam possent indulgentiam impertiri, cum tamen multi facta potestate abuterentur, cavendum fuit in Lateranensi Concilio sub Innocentio III., ne Episcopi ampliores, quam unius anni in dedicationibus Ecclesiarum, & quam quadraginta dierum

in animadversariis dedicationum indulgentias concederent, cap. 14. de pœnit. & remiss., quod etiam de Archiepiscopis intelligendum voluit Honorius III. in cap. 15. eod. tit., & renovavit Bonifacius VIII. in cap. ult. eod. tit. in 6. Eò præterea magis occurrendum fuit adversus illos, qui jurisdictione ecclesiastica non gaudentes, monachi scilicet, & quæstores, temerè indulgentias pontificias promulgabant, aut nusquam, aut obreptione, vel subreptione impetratas; etenim salubriter constitutum est, ut nemo audeat Pontificias promulgare indulgentias Episcopo inconsulto, ad cuius officium hodie spectat nosse, an quæ promulgandæ sunt indulgentia, genuinæ sint, nulloque obreptionis, vel subreptionis vicio laborent; imò & quæstores omnes, quorum officium ex improbitate plurimorum in quandam indulgentiarum detestabilem mercatum detorquebatur, tandem aliquando sublati fuerunt, Clement. 1. vers. *Au etiam* de privilegiis, Clement. 2. de pœnit. & remiss., Concilio Tridentino sess. 5. de Ref. cap. 2. in fine, sess. 21. de Ref. cap. 9., sess. 22. de Reform. cap. 5., & in dicto decreto de Indulgentiis sub finem sessionis 25.



## DISSERTATIO TERTIA DE REIS PER CENSURAS COERCENDIS.

Huc referendus est titulus 39. libri 3.

### CAPUT I.

De censura nomine, & natura.

**S**I in pœnitentiis indicendis lenem, & voluntariam, ita dixerim, jurisdictionem tantquam in volentes, & spontè sese subjicientes, Ecclesiæ exercet, longè profectò rigidior est pars altera potestatis, qua rei contumaces coercendi sunt; non quidem ita, ut in extremum, & irreparabilem, sublata spe æternæ salutis, interitum adducantur, sed ut asperitate perterrefacti ad suscipiendam pœnitentiam non tam invitentur, quam ferè adigantur. Contingit id infligendo censuras, quæ medium quendam locum tenent inter pœnitentias, & pœnas, proindeque aliquando latiore significatione pœnæ appellantur, propterea quòd proximè ad pœnas accedant, atque in pluribus pœnarum naturam exerant, & qualitates, cap. 9. de celebrat. Missar., cap. 1. de sent. excom. in 6., dixeris apertissimè pœnas salutare; pœnas inquam ex eo, quòd animum angunt, & cruciant, ex eo insuper, quòd certis ecclesiasticis juribus privant; salutare ex eo, quòd ad terrendum potius, & commovendum indicuntur, quam ad puniendum. Veteres Latini Scriptores censuram generaliter appellaverunt quæcumque notam, qua aut persona, aut gestum, aut scriptum, aliquid afficeretur, derivato nomine ab eo, quòd Romæ olim constitutum fuerat, Censoris officio. Ecclesiastici viri recentioribus præsertim sæculis, latissimam vocabuli significationem contraxe-

runt, ut eo designarent aut excommunicationem, aut suspensionem, aut interdichum, cap. 20. de verbos. signific. Et quidem censura nomen ad hæc significanda nonnisi recentioribus sæculis, sive circa tempora Gregorii IX. adhiberi consuevit; etenim olim per varias periphrases illa explicabantur, nimirum dicebantur canonica districtio, can. 23. dist. 86., can. 21. caus. 12. quæst. 2., can. 2., caus. 15. quæst. 7., districta ultio, can. 19. caus. 24. quæst. 3., canonica pœna, cap. 29. de simonia, gladius spiritualis, can. 21. caus. 15. quæst. 6., juncto caput 6. de sentent. excom. in 6., pœna spiritualis, can. 1. caus. 24. quæst. 3., nervus ecclesiastica disciplina, cap. 5. de consuetudine, quod & usurpatum est in Tridentino Concilio sess. 25. de Ref. cap. 3., felix mucro, can. 1. in fine caus. 16. quæst. 2., quod & usurpatum est in Lugdunensi Concilio cap. 6. de sent. excom. in 6., ferrum putridas carnes secans, can. 18. caus. 24. quæst. 3., separatio morbidarum ovium à sanis, can. 17. caus. 24. quæst. 3., & pœna medicinalis, can. 18. caus. 2. quæst. 1., quod & legitimum in Lugdunensi laudato Concilio in cap. 1. de sentent. excom. in 6. Ut plurimum autem quæcumque censura appellabatur, communis, & generali nomine excommunicationis. Quem admodum enim excommunicationis vocabulum ex sui natura significat exclusionem à communionis, ita facillè usurpari potuit ad demonstrandum quem-